



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pavli Fvschi Episcopi Sarnensis De Visitatione Et
Regimine Ecclesiarvm. Libri Dvo**

Fusco, Paolo

Romae, 1616

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61768](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61768)

AD LECTOREM.



ESI, benigne Lector, hoc scribendi genus, ex varietate temporum, & multitudine scribentium, non solum difficile, sed inane potius aliqui putarunt, cum studiosa sint, & prompta hominum ingenia ad subuertendum ab alijs tradita: & quod in studiosorum gratia est scriptum, in reprobum deduxere sensum, vt ferè multi exinde perterriti, quod gratis a Deo acceperant, non alijs communicauerint, sed absconderunt, vt demum cum morte omnia pertransierint: Ego tamen, & vtile, & necessarium omnino iudicauit, vel ad perpetuam posteritatis memoriam, vel ad doctissimorum hominum laudem, & gloriam, singulare, atq. excellens dignum fuisse ipsam scripturam, qua & Dei mandata, Patrumq. exempla nobis conseruarentur, & pròbi viri posteris vtilis essent. Sic Marcus Cicerò antiquorum scripta percurrens multa nobis, eaq. præclara dicta reliquit, sic & Iuris consulti aliorum responsis in vnum collectis, non sine magna omnium vtilitate mortalibus auxiliati sunt, vt Iustinianus Imperator non minori laude dignus sit, & si multa omiserit, plurima etiam rescauerit, quem & Gratianus antiquitatis diligentissimus conseruator sequutus fuit: Quod nisi fecissent, quis est, qui aperto ore non fateatur, quantum detrimenti esset posteritas ipsa conseruata? Sed, vt sileam ceteros, venio ad nostros. Quis fuit discipulus Domini? qui diuino asperante numine pro virili parte posteris non prospexerit, verbis, vita, doctrina, vel scribendo, corrigendo, hortando, exempla q. proferendo, a primis inquam nascentes ecclesiæ a temporibus Apostolus testatur ad Corinthios inquit, Fratres ego enim accepi a domino, quod & tradidi vobis, & quæ sequuntur. Et quis sanæ mentis nescit non esse librum, in quo quid boni non sit? Quia non semel, sed iterum, atque iterum proponenda nobis sunt Christi merita, amor in Deum, & proximum, a quo pendet leges & Prophetæ. Et si varietas est humanarum rerum, fortius est insistendum in bonorum confirmatione, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus, & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Ad hoc tendunt Concilia Ecclesiæ, scripta sanctorum Patrum, exempla sunt in dies, & sic oportet demonstrari. Quare expedit ad altiora procedere, semper enim natura nouas edere formas satagit, & si nihil dicendum, quod prius non dictum, quia nihil sub Sole nouum, tamen vnum pulchrius altero, vnum alio conuenientius, ex tempore nascitur occasio, & officium præstat fines scribendi. Tempus est loquendi, pastores non debent esse canes muti non valentes latrare: quia si Pastor fileat, venit lupus, & rapit oues. quas oues? quas Christus descendens de patre luminum proprio sanguine redemit; de quo in præsentis tractatu ad communem vtilitatem latius differitur. Vnde vanum est iudicium eorum, qui cum sua quasi natura, & studio sint ad destruendum prompti, in-

eos

eos inuehantur maxime, qui prodesse posteritati cogitant, vt ex eorum fere voluntate bonorum opera pendeant. Ideo in contradictione perdidit sensus, & iuxta Psalmistam facti sunt, vt stercus terre, ambulantes in tenebris, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis, quam lucem, & quia negligenter agunt opus domini. Deus enim cuius est terra, & plenitudo eius, & si oblati nostris non indiget, tamen non quid sibi offeratur, sed qua mente, quoque animo quis offerat aestimare solet: Ex quo si tanti sunt graues Auctores, qui eiusmodi, & maiora etiam tradiderunt, & magna sit multitudo librorum, facilius poterunt etiam hæc nostra scripta sub umbra illorum versari, illorumque quasi Clypeo defendi, & Boni animum nostrum, factumque simul magis commendabunt: nec omnino inutilis erit fructus, qui in mensa Domini cum alijs reponi non possit. Tu igitur, Candide lector, pio animo prosequere nostrum institutum annuens nostris votis, qui nihil quærimus, nisi Christum Crucifixum fidelium pectoribus inserere, vt viuant ipsi, non sibi, sed Christo. Huc tendunt nostri labores, nostræ vigiliæ, quia magnus est Dominus, & laudabilis nimis. Ad hoc sunt vocati episcopi, qui percurrentes mundi partes, animas Deo saluas reddant, vineam Domini custodientes, cuius vitis est ipse Christus, nos vero palmites, vt laborando uvas producat, non labruscas, ideo nisi colatur, non producit fructus. Ecclesia est vinea Domini, habens torcular, & aream, turrim etiam virtutum, de hac optime colenda, vt Dominus lætetur in seruis suis, hic pastores docentur, & quibus adiumentis id præstari possit, vt exinde alij cogitent, alij sermonizentur, ceteri etiam exequantur. Nullæ sunt angustia, nulli sunt mœrores, cum Deo adhæretur, cum Psalmo dicentes; Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, de quo Apostolus: Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Hoc virtutis opus. Hic est labor optatus. Hic est dulcior fructus per multa pericula mundi ductus, vt quilibet non negligenti operario, sed vtili agricolæ in vinea Domini comparari possit; qui postea vocatus a patre familias, vnicuique reddente secundum opera sua denarium, hoc est felicitatem æternam consequatur. Vale, & interim boni consulens his frui in Domino. Romæ Kal. Septembris 1581.

